





DECANVS  
ORDINIS PHILOSOPHICI  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI,  
HENRICVS

**LEINSMA**

DOCTOR THEOLET MOR. PROF. PVBL.,  
IDEMQVE HOC TEMPORE  
IMPERIALI AVCTORITATE CONSTI-  
TVTVS COMES PALATINVS,  
PHILOSOPHIAE IVXTA AC POE-  
TICAE CVLTORIBVS

S. P. D.



24  
Vn homines docti, et Poeticae, et caeterarum liberalium Artium, cultores, novo profusis & usque adhuc inusitato exemplo, coniunctim sint, compellendi, ac praeparandi mihi ad Philosophicos non minus, quam Poeticos, honores summos, pridie Kalendas Majas, si Deus fuerit, utrisque tribuendos, nemo, opinor, mihi vitio dabit, quod argumentum, deligam utrisque nonnihil accommodatum. Differenti videlicet, haud ita pridem mihi de optimo moralia tradendi modo, in mentem venit cogitare simul de antiquissima Disciplinam de moribus docendi ratione, quam poeticam, vel mythicam, esse, multi perhibent: Quod ipsum paulo copiosius inquirere, Philosophorum pariter ac Poetarum interesse puto, licet per sit difficile ad iudicandum de illa aetate & tempore, quod, secundum Varronem, ἀδηλον inscribere nonnulli solent. Equidem, si illud aequae vere, ac commode, esset scriptum a Cicerone, in Tusculan. Quest. lib. V, quod Socrates de moribus Philosophiam primus de coelo devocaverit, & in urbibus eam collocaverit, & in domos etiam introduxerit, vel, uti est apud Diogenem Laert. in Vit. Socratis, quod ille primus περὶ τοῖς διαφέρῃς differuerit, & περὶ ἡθῶν invenit, nihil negotii esset antiquissimum moralia tradendi modum definire. Licet enim Socrates ipse litteram nullam scriptam nobis reliquerit, uti relatum accepimus a Cicerone in Lib. III. de Orat., Plutarcho, & aliis: Omnes tamen, qui Socratis memoriam prodiderunt posteris, τὸ πᾶν παιδείας, quo usus Socrates est, sic describunt, ut intelligi possit, Socratem exemplo vitae magis, quam praeceptis docuisse, atque in praeceptis suis de vita & moribus, rebusque bonis & malis, μέθοδον διαλογικὴν καὶ παρανεπηκὴν, non usque adeo ποιητικὴν ἢ μυθικὴν, adhibuisse. Quod ipsum ego quidem non ex Leonis Allatii de Scriptis Socraticis Dialogo, eiusdemque Epistolis, dudum & merito suspectis, sed ex Xenophonte & Platone, vere Socraticis discipulis, confirmarem: Ille enim in Memorabilium Socraticorum quinque Libris integris, hic vero vel hoc ipso illud clarissime ostendit, quando, tum demum ferio & ex animi sententia se loqui & scribere, perhibet, cum nomine & more Socratis dialogos formare docet. At enim vero Socrates ne apud Graecos quidem primus de vita & moribus philosophiam docuit, tantum abest, ut, eius τὸ πᾶν παιδείας universe primum atque antiquissimum fuisse, pronuntiare ausim, quod Scheurlium, video, fecisse in Bibliogr. Mor. §. XXVII. & Vergilium de Invent. Rer. Lib. I. cap. XVI. Diu enim ante Socratem Sapientes Graeciae de vita & moribus praecepta tradiderunt, quippe qui, praeter Thaletem Milesium, omnes civitatibus suis praefuerunt, quod Plutarchus in Vita Solonis, & ex eodem Placcius, refert, de Moral. Scient. Aug. Cap. Tex. II., de quibus tamen, an Socratico moralia tradendi mo-

di modo uli fuerint, non satis constat. Pythagoram quoque Sa-  
miam integro ante Socratem seculo de Officiis Disciplinam docu-  
isse, & complexum esse vivendi praecepta omnia, symbolis certis,  
figuris, & numeris, auctor est in vita Pythagorae Jamblichus.  
Quid ergo? Num, Poeticam moralia tradendi rationem antiquissi-  
mam esse, asseverabimus? Scilicet hoc illud ipsum est, quod, qui  
Poeticam collaudant, omnes propemodum affirmant. Plato, ipse  
sat antiquus auctor & gravitate Philosophorum omnium facile pri-  
mus, quando, in *Lyfide*, Poetas *πατέρας τῆς σοφίας καὶ ἡγεμόνας*  
nominat, quid aliud eo ipso intendit, quam ut, Poetas Philosophiae,  
illius quidem, quae est virtutum indagatrix vitiorumque expultrix,  
primos auctores fuisse, ostendat. Quid vero illi, qui contendunt,  
primos Philosophos Poetas fuisse, imo & Poetas, orto nondum  
Philosophiae nomine, personam dignitatemque Sapientum illo-  
rum sustinuisse, qui praeter caeteras artes ingenuas vitam quoque  
hominum ad virtutem informare, & a vitiis avocare, docuerunt?  
Illi vero denuo hoc agunt, ut, modum moralia tradendi primum,  
atque antiquissimum poeticum esse, demonstrant. Hesiodum, a-  
iunt, & Homerum, cum Aesopo, pro quo Quintilianus, lib. V. cap.  
XI, Hesiodum ipsum ponit, omnium consensione, morum Scripto-  
res esse antiquissimos & primos, qui *τὸ πρῶτον παιδείας ποιητικῆν καὶ μῦ-  
θικὴν* adhibuerint. Ex Plutarchi Lib. 2. de Homero ostendunt, &  
ex Quintiliani Lib. X. cap. I, quod, quemadmodum ex oceano fon-  
tium omnium cursus initium capiant, ita & Homerus exemplum  
Artibus omnibus & ortum dederit. Praeterea, etiam his multo an-  
tiquiores morum, si non scriptores, doctores tamen fuisse, perhi-  
bent, eosdemque a modo docendi Poetico & Mythico insignes,  
quos & Hornius in Hist. Philos. Lib. III. cap. VIII, & Paschius Li-  
bro de Variis Moralibus Tractandi Modis Tr. I. Cap. I. & II, & di-  
vius praedeceptor ac praeceptor quondam meus, etiam post fata-  
sum opere mihi suspiciendus, Christ. Roehrensee, vel potius, eod-  
em praefide, Joh. Christ. Wolffius, nunc fautor meus & Collega  
coniunctissimus, in suis Dispp. de Mythica Mor. Trad. Rat. nov-  
antiqua, commemorant. Polydorus Vergilius, de Rer. Invent. Lib.  
I. c. VIII. non a Graeca solum gente, sed & Hebraea, tam sapien-  
tiae verae studio, quam antiquitatis gloria, Graecam longissime,  
superante, originem moralia *ποιητικῶς* tractandi deducit. Originem il-  
lius modi tam vetustam esse, ostendit, ut, secundum Euseb., lib. XI. de  
Praep. Evang. apud antiquissimos Hebraeorum, qui multis seculis ante Grae-  
corum Poetas de moribus Disciplinam tradiderunt, iam fuerit usitatus: Id  
quod & Patriarcharum, & Moysi, & Jobi, & Davidis, aliorumque exemplis  
confirmat. Joh. Franc. Buddeus in Exert. de Philosopho Fabularum Ama-  
tore, atque alias, non uno in loco, in eandem fere sententiam de huius *παι-  
δικῆς* tradendi rationis origine diserit: Ab omnium enim antiquissima gen-  
te Hebraea eius initium modi deducit, atque hanc eum ad Aegyptios, & hos  
denuo

denuo ad Chinenſes, Syros, Arabes, caeterasque gentes, ſecundum Graecos Barbaricas dictas, eundem hunc poeticum moralia tradendi modum tranſtuliffe, Graecos autem a Barbaris eam accepiſſe, copioſe oſtendit. Haec cauſa eſt, quamobrem ſcriptores Bibliographiae Moralis nonnulli initium hifto-  
riae Ethices non ducant a Socrate, aut alio quodam, vetuſtiſſimo caetero-  
quin inter Graecos, Philoſopho, cum Henrico Julio Scheurlio cit. loc., vel cum  
Burcard. Gotthelf. Struvio, in Bibl. Philoſ. cap. VI., ab Aeſopo ſolo, & quaſi  
primo huius conditore modi, ſed longius excurrant ad prima prorfus a con-  
dito fere mundo ſecula. Atque ego quidem, ut aliquid de mea quoque ſen-  
tentia expromam, non negaverim, Poeticam a gente omnium prima & anti-  
quiſſima, qualis eſt Hebraea, derivari poſſe & debere, propter exempla ſine  
ulla exceptione clariffima Moſis, Jobi, Davidis, Salomonis, & caeterorum, a  
quibus ad Patriarcharum aetatem colligere, in promptu eſt, conf. Selden. de  
Jur. N. & G. lib. I. cap. 2., & Moev. in Prodrum. J. N. p. 174. At enim vero,  
hanc Poefin fuiſſe ulicatum omnibus & ſolenem moralia tradendi mo-  
dum, primis doctoribus in gente Hebraea quaſi proprium ac praecipuum, il-  
lud nullis argumentis, ne veri quidem ſimilibus, aſſeritur, perinde atque illud  
novum monitum Obſervatoris Hallenſium, quo primos in Hebraea gente  
doctores nullas ſcholas habuiſſe, nullamque docendi methodum adhibuiſſe  
perhibet, ac imprudentioribus perſuadet. Neque vero Rabbinis, eorundemque  
de mythologia & Poetica Patriarcharum fabulis ſubſcribo, ſed illud volo, primos in  
gente Hebraea doctores, omnibus & Barbaricis & Graecis Philoſophis antiquiores,  
etiam ante, quam verbum Dei in literas referretur, in ſuis ſcholis de vita & mori-  
bus, tanquam familiarem docendi rationem, adhibuiſſe aphoriftico - parabolico-  
paraeneticam methodum; Quam ut chariorem ſuis auditoribus redderent & quaſi  
melle obductam, cuiuſmodi quandoque ſcolis, licet rarioribus, exornarunt, qui ad  
Poeticam omnino referri debent, talem certe, qualem Moſi, Jobo, Davidi, & Salo-  
moni ſupra iam adſcripſimus. Neque enim ego intelligo, an illud Placcii, de Mor.  
Scient. Aug. Cap. I. Text. II., probari poſſit, quo perhibet, morum quidem prae-  
cepta ſimul cum hominibus nata eſſe, inſtitutionem vero illam primorum in gen-  
te Hebraea docentium philoſophiae nomen non mereri, nec ornamenta illa poe-  
tica & mythologica, quae ſuis de vita & moribus praeceptis admifcuerint, philoſo-  
phiam dici debere: Quippe quod non videtur multum diſcrepare ab illa Obſerva-  
toris Hallenſium ſententia. Sed, miſſis illis, quae de antiquiſſimo moralia tradendi  
modo dicenda reſtare videbantur, nunc ad inſtitutuſque metum proximius accedo, quod  
duplicem lauream, Philoſophicam alteram, & Poeticam, quaſi palmam in me-  
dio poſitam, omnibus veris & Sapientiae, & Poeticae, cultoribus promittit, Prid. Kal.  
Maj., ut ſupra monui, in ſoleni quadam Panegyri, a me ſimul utriuſque ſigillatim diſtri-  
buendas. Ad lauream quidem Philoſophicam, & inſignia Magiſterii, tanquam Phi-  
loſophorum, & ipſius induſtriae, pietatis, & Sapientiae, praemia ſumma, omnes  
illos invito, qui virtutis hanc mercedem ipſius ſtudio Philoſophiae promeruerunt,  
idque non novo, ſed plus quam anniverſario exemplo. Lauream vero Poeticam  
cum omnibus eiufdem privilegiis novo prorfus apud nos, & inde uſque a condita  
Academia noſtra, inuſitato exemplo, ut poſſim illis promittere, qui in Poetica arte  
excellunt, nobisque ſufficientibus ac probatis documentis ſe commendant, illud  
Auguſtiſſimum Sacri Romani Imperii Vicarius, Potentiſſimus Rex, ac Sereniſſimus  
Electoꝝ Saxoniae, Dominus, FRIDERICVS AVGVSTVS, Dominus meus longe  
Clementiſſimus, effecit, quando Ordini Philoſophorum Academiae Vitember-  
genſis privilegium longe clementiſſime dedit conceſſitque, Poetas Caefarios facien-  
tes, creando, inſigniendi, iuſtitque, ut, cum primi ſtatim Philoſophi etiam Poetae  
fuerint, Poetas ideo vel in primis ornandos, praecipuoque honore afficiendos du-  
ceremus. Agite ergo, Viri & Juvenes Ornatiſſimi, adeſte frequentes, date matu-  
re nomina veſtra mihi, ut poſſim Sapientiae iuxta ac Poeticae Doctores in Acade-  
mia noſtra ad veſtra commoda, dignitateque ſummis honoribus amplificandam,  
una mecum potentiſſimos ac paratiſſimos reddere, Deumque immortalẽ hoc ar-  
dentius invocare, ut omnia ad reiſ. literariae atque Eccleſiae ornamenta & decora  
maxima convertat. P. P. ipſis Nonis Januariis, anno recupera-  
tae gratiae MDCCXII.

Ung VI 3

W 18  
V 17







DECANVS  
 IS PHILOSOPHICI  
 IN  
 A VITEMBERGENSI,  
**RICVS**  
**NSRB**  
 OLET MOR. PROF. PVBL.,  
 VE HOC TEMPORE  
 VCTORITATE CONSTI-  
 OMES PALATINVS,  
 HIAE IVXTA AC POE-  
 E CVLTORIBVS

S. P. D.

Aug. Cap. Ter. II. de quibus tamen, in doctrinae moris traditio-  
 nes in Vita Solonia & ex eodem Placito tractat de Moralibus  
 factum Melitiam, omnes civitates, sua praedicant, quod Placit-  
 de vita & proinde praesentia traditio, quippe per quatuor I. in-  
 Her. I. cap. XV. Diu enim inter doctrinae sacras Graeciae  
 videtur, scilicet, philosophia, quae in Vita Solonia de invento  
 quae sapientissimum fuisse, praeferunt, quod Scholasticum

